Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

M. Vitrvvii ... De architectvra libri decem

Vitruvius
Frontinus, Sextus Iulius

Argentorati, 1543

Cap. XIIII

urn:nbn:de:bsz:31-128539

Visual Library

DE PVRPVREIS COLORIBVS.
CAP. XIIII.

FIVNT etiam purpurei colores infecta creta rubiæ radice, et hyſgino: non minus & ex floribus alij colores. Itaq; tectores cum uolunt ſile Atticum imitari, uiolam aridam conijcientes in uas cum aqua conferueſcere faciunt ad ignem: deinde cum eſt temperatum conijciunt in linteum, & inde manibus exprimentes, recipiunt in mortarium aquam ex uiolis coloratam, & ex ea eretriam infundentes & eam terentes, efficiunt ſilis Attici colorem. Eadem ratione uacinium temperantes, & lac miſcentes, purpuram faciunt elegantem. Item qui non poſſunt chryſocolla propter caritatem uti, herba, quæ luteum appellatur, ceruleum inficiunt, & utuntur uiridiſsimo colore. Hæc autem infectiua appellantur. Item propter inopiam coloris indici, cretam ſelinuſiam, aut anulariam, quod Græci ὕαλον appellant inficientes, imitationem faciunt indici coloris. Quibus rationibus & rebus ad diſpoſitionem firmitatis, quibusq; decoras oporteat fieri picturas: item quas habeant omnes colores in ſe poteſtates, ut mihi ſuccurrere potuit, in hoc libro perſcripſi. Itaque omnes ædificationum perfectiones, quam habere debeant oportunitatem, ratiocinationibus ſeptem uoluminibus ſunt finitæ. In ſequenti autem de aqua, ſi quibus locis non fuerit, quemadmodum inueniatur, & qua ratione ducatur, quibusq; rebus, ſi erit ſalubris & idonea probetur, explicabo.

M. VITRV